



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SOLIMÕES SUPERIORIS*** IN BRASILIA

PRAELATURA SOLIMÕES SUPERIORIS ATTOLLITUR

AD GRADUM DIOECESIS EODEM SERVATO NOMINE Constat praelaturam Solimões Superioris, positam in amplissimis finibus Brasiliae, hisce praesertim temporibus missionariorum laboribus atque consociata aliarum Ecclesiarum opera haud parva religiosa et civilia incrementa esse consecutam. Qua re, cum Venerabiles Fratres Adalbertus Dominicus Marzi, olim Administrator Apostolicus « sede vacante » atque Evangelista Alcimarus Caldas Magalhães, Episcopus Praelatus electus eiusdem praelature, Conferentia Episcoporum Brasiliensium audita, ab hac Apostolica Sede postulaverint ut eadem Ecclesia ad gradum ac dignitatem dioecesis eveheretur, Nos, probe scientes eiusmodi optato assentiri Venerabilem Fratrem Carolum Furno, Archiepiscopum titulo Abaritanum et in Brasilia Apostolicum Nuntium, de consilio Congregationis pro Episcopis, admotis precibus libentes annuendum esse censemus, potissimum rati quod est petitum animarum saluti illius dilectae catholicae communitatis valde esse profuturum. Apostolica igitur Nostra potestate praelaturam, quam diximus, attollimus ad gradum honoremque dioecesis, servatis et iisdem finibus, quibus nunc ipsa terminatur, et eodem nomine Solimões Superioris. Insuper quae sequuntur decernimus ac iubemus. Constitutae dioecesis sedes in urbe « Tabatinga » erit, cathedra autem Episcopi in paroeciali templo ibi exstante, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis « do Perpétuo Socorro » dicato, quod ad gradum ac dignitatem cathedralis aedis evehimus propriis cum iuribus, insignibus et honoribus. Templum vero in urbe « São Paulo de Olivença » positum, hucusque dignitate praelaticiae ecclesiae insignitum, titulo ac dignitate concathedralis aedis decoramus. Dioecesis Solimões Superioris suffraganea quidem erit metropolitanae Ecclesiae Manaënsi, cuius proinde Archiepiscopi iurisdictioni metropoliticae Episcopum pro tempore Solimões Superioris subicimus, iisdem iuribus, privilegiis honoribusque insignitum atque oneribus obligationibusque adstrictum, quae Praesulum Ordinariorum locorum propria sunt. Insuper consultorum Collegium ibidem constituatur, qui Episcopo valido sint auxilio. Statuimus etiam ut congruae sustentationi Pastoris novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus ceterisque bonis temporalibus, quae hactenus ad eandem praelaturam pertinuerunt. In iis, quae ad Seminarii aedificationem ac moderationem spectant, serventur iuris communis statuta, ratione praesertim habita normarum regularumque Congregationis de Institutione Catholica; suoque tempore selecti seminarii alumni philosophicis ac

theologicis imbuendi disciplinis necnon sacerdotes sua studia completuri, Romam, ad Pontificium Collegium Pium Brasiliense mittantur. Quod autem attinet ad dioecesis regimen, administrationem bonorum, Administratoris dioecesani, sede vacante, electionem, iura et onera fidelium aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt ad amussim observentur. Iubemus praeterea ut dioecesi rite constitutae clerus praelatura eo ipso adscriptus maneat. Insuper Venerabilem Fratrem Evangelistam Alcimarum Caldas Magalhães, memoratae praelatura Ordinarium, ab ipso vinculo solutum, ipsius dioecesis Solimões Superioris Episcopum ac Pastorem confirmamus. Haec, quae praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri Carolo Furno, quem diximus, vel, absente eo, illi, qui negotia curat Apostolicae Sedis in Brasilia; eisdem tribuentes necessarias oportunasque facultates quemlibet alium delegandi virum, ad effectum de quo agitur, modo is sit in ecclesiastica dignitate constitutus, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis sincerum peractae exsecutionis exemplar mittendi. Has denique Litteras Nostras nunc et in posterum ratas esse firmasque volumus, contrariis quibuslibet rebus haud quaquam obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo quarto mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Proton. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXIV (1992), n. 1, pp. 5-7

© Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana